

# PSALMIE

DAVIDIS QVINQVE

1, 14, 36, 39, 8, 79.

HEROICO VERSV IN

gratiam sereniss. Regina An-

gliae redditum, cum subiecto

de officio Principis

carmine.

PER

NICOLAVM MAMERA,

num Lucemburgensem Poetam

Laureatum,

LONDINI

Thomas Marshetus excudebat,

Anno, 1557.

SERENISS. ATQVE ILLVSTRISS.

Principi ac Dominæ, Dn. Mariæ, diuina fasz  
uente clementia, Angliae, Francie His  
spaniarum, vtriusq; Siciliae, His  
berniae &c. Reginæ;

Mameranus se commendat.

Væ regis Angliacæ sceptræ ac moderamina terre  
Inclyta magnorum de stirpe ac sanguine regum  
Stemmata clara trahens, vultu Regina sereno,  
Suscipte Davidis, sancti pia dona Prophetæ,  
Heroo hos quinos deductos carmine Psalmos;  
Protinus Angliaci quos primum limina regni  
Cum Rege ingressus, sacra reuerenter & alia  
Ipse tuæ Maiestati deuotus alumnus,  
Cæsareus vates Mameranus pronior offert,  
Et rogat in placidum simul ut se sacrafauorem  
Regia suscipiat Maiestas inter alumnos,  
Quos fouet ex dulci semper pietate benigne,

Cum caneret quondam pia vita monastica laudes  
Nocte, dieq; deo; cantus, psalmosq; sonaret  
Omnibus in templis & plurima contio verbi  
Diuini fieret, cultusq; & sacra frequenter  
Missarum, populum quæ ad sancta & honesta vocabat  
Et pia; tum sanctæ florebant plurima vitæ  
Exempla, & pietatis opus feruebat ubiq;  
Ac sincera fides per sanctos vndiq; fratres  
Concionata, pijs ingentes pectore flammis  
Immisisit, vitæ fuerat quæ causa beatæ  
Multis, de mundo, decq; impietate reductis:

A.ii.



Ad cultumq; metumq; dei, vitamq; modestam  
Et sanctam atq; piam, metuente in Numinis iram.  
Aeterni, ut semper dominum reuerenter haberet,  
Per sanctos fratres, pia per documenta vocatis.  
Quæ postq; fato atq; die cessavit iniquo,  
Desist & vita mox consuetudo beatæ  
Illa prior, cultusq; dei refrixit & ipse  
Mutuus officijs amor ac dilectio, fratum  
Quæ pia vita prior, quæ conuersatio fratrum  
Religiosa, viget totum quæ salua per orbem  
Omnibus in terris, non tantum ubi dogmata Christi  
Atq; fides, nomenq; viger, sanctæq; Potestas  
Ecclesiæ: sed ubi quoq; vel gens Ethnica viuit:  
Cum pietate Dei fuerint reparata, priori &  
Rursum aptata loco, Domino prestante fauorem,  
Illa statum in veterem rursum, tunc cuncta redibunt:  
Feruebitq; fides, pietas, dilectio fratrum  
Mutua, cælestem spirabunt pectora vitam  
Feruida & ignitas mittent super æthera mentes  
Etrursum sacros cantabunt vndiq; psalmos  
Deuoti in templis fratres, verbumq; loquentur  
Ad populum domini, sanctæq; pieq; docebunt  
Viuere, ut aeternæ veniant ad gaudia vita.  
Plebs iterum veniet tunc sacri ad limina templi  
Quotidie reuocata magis, pietatis amore,  
Quæ situra deiregnum pia, iustitiamq;  
Ante opus omne deum, quo primo mane precetur  
In templo Domini, diuinæ ad munia Missæ.  
Quod restaurandum, primo, piscoq; nitori  
Rite reponendum, Maiestas illa tremenda

Numinis aeterni nutu, quæ cuncta gubernat  
Illa reseruauit tibi miro hoc ordine regnum,  
Et tibi virtutem contra hostes atq; rebelles  
Prestita: cuius perculta tremiseret omnis  
Praua cohors facie, pauitansq; horrore iaceret  
Substrata ante pedes, culpam confessa malignam,  
Inq; fide veterum dedit illa calescere patrum  
Te totam sancta, firma vt Marpesia cautes  
Atq; immota animo fortissima fæmina stares,  
Plus pietate, viris prestatæ fæmina, vera,  
Et saperes, priscumq; decus, custode severo,  
Ecclesiæ Domini seruares corde reposum.  
Te saluam in sancta seruauit simplicitate,  
Ut tua cælesti fulta ac stabilita fauore,  
Deducta segete hac praua atq; errore reciso  
Impio & insano, progressu temporis omni,  
Duceret in priscum prudentia rara nitorem.  
Quod mox vt fiat, Numen cælestè precamur,  
Atq; in te Domini benedictio sancta recumbat,  
Ut regno sobolem parias ex Rege beatam,  
Atq; super totum redeat benedictio regnum,  
Illa prior, viguit prisco quæ tempore patrum  
Aeterni Patris, Natiq; & Pneumatis almi,  
Quod mecum cuncti dicant ex cordibus, Amen.

DE RATIONE VERSIONIS  
Ad Lectorem.

**Q**VI legi haec Lector, si verbis reddit a verba,  
Fers male, des veniam, postulat artis opus.  
Non etenim libuit nisi tali reddere pacto  
Divini vatis carmina sacra David.  
Non extra metas, extra nec septa vagari:  
Nec libuit varia huc cogere sensa simul,  
Et non captato libuit sermone venusto  
Ponere proposito verba diserta meo,  
Sed vetus & simplex tulit ut translatio verba,  
Deduxi in versum sic repetita meum,  
Atque adeo hic artis volui contemnere quædam  
Præcepta, ut longa est, prima locata secus,

BEATVS VIR.  
Psalm, 1.

**V**I V E T in æternum post fata vir ille beatus,  
Qui non a domini lege ac bonitate recedens,  
Consilia accessit leuis ac temerarius ipsa  
Impia iniquorum; nec inhærens calle malorum  
Perstigit, ac cathedræ nec sedet pestis iniquæ.  
Ast in lege dei sua toto corde voluntas  
Fixa fuit semper; Dominique in lege perennis  
Feruer & hanc solam meditatur nocte, dieque  
Hic erit ut lignum decursus secus aquarum  
Plantatum, veniente suo quod tempore fructum  
Præstabit: folium cuius non defluet unquam,  
Quæcumque hic faciet, procedent prospera cuncta,  
Praua cohors hominum non sic, non impia, non sic.  
Sed tanquam puluis, leuiter quem ventus in auras  
Proiicit a facie vastæ per inania terræ:  
Non ideo tales simili ratione resurgent  
Tandem in iudicio: neque pars his villa piorum,  
Sorsue in concilio iustorum erit villa reposta.  
Namque viam dominus iustorum nouit, & ipsa  
Semita iniquorum sordeceris tota peribit.

DOMINE QVIS HABITABIT.  
Psalm, 14.

**Q**VIS Domine æterna tecum regnabit in aula,  
Atque tabernaclis, & sancto monte quiescat?  
Qui ingreditur maculis sine labe ac sordibus ullis

Iusticiamq; facit, qui toto corde perenniem:  
Qui loquitur semper toto de pectore verum:  
Qui lingua exercet nullam fraudemue, dolumue;  
Quiq; malum fratri nullum facit atq; propinquo:  
Opprobria aduersus vicinum nulla leuauit:  
Eius in aspectu ad nihilum deductus iniquus:  
Glorificat vero rectos, Dominumq; timentes:  
Qui iurat fratri pure, nec decipit ipsum:  
Præstat ad usuram sua qui numismata nullam:  
Et super innoçuum qui accepit munera nulla:  
Qui facit hæc semper, non ille mouebitur vñquam,

## NOLI ÆMVLARI

Psalm. 36.

C Hare malignantis turbæ noli æmulus esse:  
Nec rem pârantes zelaueris actor iniquam.  
Nam tanquam foenum tales velociter omnes  
Arescent; olus & veluti quod crescit in hortis  
Herbarum, subito recident, penitusq; peribunt:  
Tu spera in Domino & constanter fac bonitatem,  
In q; habita terram, & donis pasceris in eius.  
Delectare tuo in domino, facilisq; petita  
Pectoris ille tui dabit & tibi vota secunda:  
Huicq; vñam memora ipse tuam, pectusq; reclude:  
In q; ipso spera: & faciet quodcumque rogabis.  
Iustitiam ille tuam, clari quasi lumen olympi  
Educet; mediisque vellit sub sole diei.  
Subditus esto Deo: atq; ipsum reverenter adora,  
Ducitur at cuius pro votis prospera vita:

Quique

Quique iniustias faciet, noli æmulus esse,  
Deline ab ira omni nocua, atq; relinque furorem:  
Vt que maligneris, nolito esse æmulus vñquam.  
Namq; malignantur quicunq;, exterminat omnes  
Ipse deus: semper sed quisquis sustinet ipsum,  
Hæres erit patriæ, post tristia funera, terræ.  
Impius vt fumus subito vanescit in auras,  
Quæstumq; locum vasti per climata mundi  
Illiis inuenies nusquam, neque nominis umbram.  
Sed mites patriæ hæredes per saecula terræ  
Existent, multa atque perenni pace fruentur,  
Partaque in æternum lætantes gaudia ducent.  
Saepè ex insidijs iustum obseruabit iniquus,  
Atque super talē stridebit dente maligno.  
Sed ridebit eum dominus: quia prospicit omnes  
Ipsius ille dies celeri cum fine propinquos.  
Vagina gladium educitum fulgore coruscum  
Atque arcum intendunt volucris, ærataq; sagitta,  
Pauperem vt atq; inopem, rectos & corde, maligni  
Trucidant ac deſciant, pedibusq; volutent.  
Horum sed gladius penetret per pectora eorum,  
Disrupto tieruo, cito confringatur & arcus.  
Est melius modicum iusto, quam copia cornu  
Dives iniquorum, quam sunt bona cuncta caduca,  
Brachia nam peccatorum robusta terentur:  
Sed iustos dominus semper confirmat & auget:  
Immaculatorumque æterno nouit ab ævo  
Ipse dies, & erunt domini bonitate perennis,  
Cœlestisque boni hæredes, ciuesque superni.  
Tempore difficulti nec confundentur & arcto:

B.i.

Et saturabuntur duræ famis vñq; diebus:  
Sed peccatores, dape deficiente peribunt.  
Sic hostes domini mox vt quæsitus in altum,  
Erexit sublimis honor, pompaque superbae,  
Deficient veluti vanescit fumus in auras.  
Mutua peccator capiet, nec credita soluet,  
Ast in opum iustus miserebitur atq; rependet:  
Sic domino grates æterno tempore reddet,  
Namq; pñ a domino, viuentum munere terram  
Accipient, prauæ merita sed morte peribunt.  
Dirigit ipse viam deus ad coelestia iusti,  
Ac huius gressus semper volet atq; probabit.  
Qui si forte cadat, vel lubricitate vacillet,  
Non collidetur, manib; quia sustinet ipsum  
Suppositis dominus, pereat ne morte perenni.  
Ipse fui iunior, senior nunc, tempore nullo  
A domino iustum vidi omni sorte relicturn:  
Illiis & semen nec vidi querere panem.  
Tota namq; diem miserendo commodat ille,  
Atq; ideo Domini benedictio sancta recumbet:  
Illiis in sobolem, ex dulci, gratoq; fauore.  
Declinando malum, bona fac opereris in omni  
Tempore, & in vita tellure morabere semper,  
Felicem ducens æterna in secula vitam.  
Iusta deus nam semper amat, nunquamq; relinquit  
Ille suos seruos, sed seruabitur in ænum,  
Puniet iniustos, simul horum & prava peribit  
Progenies, nunquam terram visura beatam,  
Iusti autem in terra coelesti in secula viuent,  
Cs iusti sapientiam & omnia recta reponet:

Judicium verum quoque & eius lingua loquetur,  
Ipsius & domini lex semper corde manebit,  
Et nullo vñquam huius titubabunt tempore gressus,  
Impius obseruat iustum, queritq; necare:  
Sed non in manibus Deus hunc in fine relinquit:  
Nec damnabit eum, cum iudicat impius ipsum,  
Expecta domini placitum, custosq; viarum  
Esto eius iugis, te in celsa palacia tollet,  
Hæres ibi vt sias, & in omnia secula viuas.  
Cumq; euanuerint scelerosi morte, videbis.  
Vidi ego peruersum fastu super alta leuatum,  
Ut cedros libani exaltatum in vertice montis:  
Transiui, & subito nusquam fuit amplius ille;  
Quæsiuq; locum, fuit & nusquam ille repertus.  
Custodi innocuum, simplexq; per omnia pectus,  
Respice quod rectum est, æquumq; & amabile semper,  
Pacifico nam reliquæ sunt talia cuique:  
In iusti vero simul & cum stirpe peribunt,  
Iustorum a domino dependet spesq; salusq;  
Omnis & est horum protector ubiq; fidelis  
Rebus in aduersis, tristisq; ac tempore duro,  
Atq; iuuabit eos dominus, redimetq; potenter  
De scelerosorum manibus, de fraudibus, atq;  
Insidijs, certam quia sperauere salutem  
Ex ipso intrepide, qua æterna in secula viuant,

## C E X P E C T A N S E X P E C T A V I

Dominum, Psalm. 39.

**E**xpectans expectavi Dominum ipse benignum,  
Atq; mihi intendens audiuit vota, precesq;  
B.ij.

Deḡ lacu eduxit miseranda sortis abyssi,  
Ac sordente luto fecis intolerabilis orci,  
Atq; super petram statuit gressusq; pedesq;  
Ille meos & direxit per strata salutis,  
Iusticiæq; viam; noua cantica misit in ora  
Ille mea, atq; deo modulari carmina Jacob,  
Multi hoc cernentes, trepidante tremore timebunt,  
Et spe coniecta in domini promissa, salutem  
Sperabunt, bonitate eius super omnia freti.  
Ille vir est felix vere, multumq; beatus,  
Solius domini est cuius spes unica nomen,  
Et non in vanas respexit lumine pompas  
Ac falsas mundi illecebras hominescq; superbos,  
Insanascq; voluptates, fraudesq; malignas,  
Multus deus solus tu miranda atq; stupenda  
Efficis et sensu similis non est tibi quisq;,  
Nec qui perpendat, vel talia cogitet extat,  
Elogijs ego nempe tuis, factisq; stupendis,  
Vscq; celebrandis totius tempore vitae  
Dissentus, multusq; fui, at conamine casso,  
Namq; ea quis numero possit comprehendere certo?  
Excedunt siquidem numerum illa per omnia cunctum.  
Nec mea complacuit tibi sacrificatio quicq;  
Oblata, ast aures bonitas mihi prestatit aptas  
Illa tua, ac holocausta nec villa parata petisti,  
Crimine pro vario. Venio tunc ecce locutus,  
De menam arcano scriptura volumine Mosi  
Continet, vt facerem tua iussa per omnia semper,  
Atq; voluntatem deus, & sic esse paratus  
Ut facerem volui. Tua lex mihi corde subimo

Feruet & immensis vndosa incendia flammis  
Excitat, vt medijs perrumpet nubila caeli.  
Iusticia in Deus ipse tuam & magnalia dixi,  
Ecclesia in magna, nec eam mea labra tacebunt,  
Vt tu secreti rimator cordis apertus  
Nostri, iustitiamq; tuam nec corde reposam  
Abscondi, verumq; tuum super omnia dixi,  
Atq; salutare ipse tuum confessus ubiq;  
Et non abscondi, quæ sit miseratione tanta  
Illa tua omnipotens humanæ denique sortis,  
Concilio a multo, mihi in his strepero atq; rebelli.  
Tu vero Deus omnipotens, ne tempore longo  
A me discedas, miseratione neve moretur.  
Et tua me cunctis miseratione sancta diebus  
Suscipiat, verumq; tuum custodiat omni  
Tempore & æternam mihi prestante deinde salutem.  
Nam me perplexum circundidit atra malorum  
Vndiq; tempestas, quorum non cernitur vilus  
Finis vel numerus; me comprehendere perennis  
Crimina delicti, scelerosæ ac horrida vitae  
Flagitia, & potui mea nec delicta videre.  
Nec potui vt rectum, vel caeli clara viderem  
Lumina, & æternæ quæ nam sint premia vitae,  
Multiplicata super capitis sunt namq; capillos;  
Atq; ideo cordis mea virtus tota reliquit,  
Complaceat Deus ergo tibi mea sordibus istis  
Eripias delictorum, properaque iuuandi,  
Seruandiq; mei causa festinus adesto.  
Et confundantur, simul ignominia aperta  
Afficiantur ij, qui animam submergere querunt

Perditionem eam tollant quo prorsus eandem:  
Quique volunt mala mihi de corde, retrorsum  
Mox auertantur: tristis confusio vultum  
Confestim feriat; reuerentia sancta ruborem  
Incutiat; trepidi vereantur Numen Olympi,  
Hi quicunque mihi peruerse, Euge Euge loquuntur.  
Exultent omnes sed latenterque super te,  
Quicunque ex toto semper te pectore querunt,  
Et dicant semper, dominus nunc magnificetur,  
Quos amor immensus tener ac dilectio Nati  
Atque salutaris tui, & ingens aetheris ardor.  
Ast ego mendicus sum vilis, pauper, inopsque.  
Sollicitus tamen usque mei est Deus ille benignus.  
Adiutor es deus ipse meus, tutorque perennis.  
Tu deus auxilium mihi ne tardaueris ipsum.

## C O V I R E G I S . I S R A E L .

Psalm. 79.

**Q**ui regis omnipotens vota Israelitica plebis,  
Et deducis ovem, iusti velut ipse Iosephus;  
Quicunque super Cherubim resides, manifestior esto  
Coram Ephraim, Beniaminum, atque Manassen;  
Exere virtutem, pater aeterno, omnipotentem,  
Et de coelesti, ut nos salues, sede venito;  
Et conuerte deus nos ac ostendere vultum  
Sancte velis, & perpetuo saluabimur omnes;  
Quo usque super miseri, deus alime, fidelia serui  
Vota irasceris, faciesque ut cassa faceassant;  
Sed scio, nos tandem lachrymarum pane cibabis;

Atque in mensura potum dabis optime fletum.  
Per te vicinis fera contradicatio nostris  
Facti namque sumus: subsannauere inimici.  
Virtutum conuerte deus nos, atque benignum  
Vultum ostende tuum pius, & saluabimur omnes,  
Vinea ab Aegypto translata, & gente repulsa,  
Vitis insertis, iterum frondente nouello  
Palmite plantasti, generoso ut germine fructum  
Ferret; duxque viae illius pius ipse fuisti  
Nocte, dieque simul, hubique ignisque columna.  
Radices eius, crecente propagine patrum  
Atque pro phatarum plantasti: maxima cuius  
Impleuit totum fere multiplicatio mundum:  
Eius & excelsos texere umbracula montes,  
Ipsiisque arbusta, Dei frondentia cedros  
Extenso medium pertingit palmite pontum  
Et flumen Euphratet, surgente propagine tundit,  
Ut quid maceriam & qua stat circundata, sepem  
Tu destruxisti, cur eam vindemiat omnis?  
Cur vastant quicunque viam, prætergrediuntur?  
Hanc aper immundus, sylvis egressus ab altis,  
Dentibus obliquis penitus vastavit adactis,  
Præcipiisque ferus plane est depastus eandem.  
Virtutum deus o, conuertere, respice ab alto,  
Atque vide, & vineta tua haec deserta reuise:  
Perfice eam, tria quam plantauit dextera, tandem  
Illa super Natum, tibi quem ratione salutis  
Humanæ confirmasti, propriumque dicasti.  
Ignibus incensi morbi ac suffossa peribunt,  
Increpat effrenens tuus haec vbi vultus in iras.

Fiat quæso tuæ manus atque potentia dextræ  
 Natum hominis Deus alme super, quem ferre salutem  
 Crimine pro nostro, suscepta carne, volebas,  
 Confirmando tibi, quo nos seruemur: & a te  
 Non discedamus, nam tu nos viuificabis.  
 Et nomen nos sancte tuum implorabimus usque.  
 Virtutum conuerte deus nos, atque serenum  
 Vultum ostende tuum pius & saluabimur omnes.

## ¶ DE OFFICIO PRIN<sup>s</sup> CIPIS.

**R**egis ad exemplar totus componitur orbis.  
 Publicus est oculus Princeps, speculūq; refulgens  
 Orbis, ab excelsō desigens lumina monte,  
 Ex quo se instituunt, vitamque ab imagine formant  
 Subiecti populi, moresq; imitando sequuntur.  
 Sol oculus mundi, tenebras dispellit inertes  
 Purus & illustris: sic Princeps pectora lustret  
 Illustris vitijs hominum candore sereno  
 Virtutum, puraque exemplo & imagine vita,  
 Tanquam oculus domini, vel sol clarissimus orbis,  
 Conspicua qui luce sua tenebrosa pererret  
 Et fulgore suo ac virtute illuminet omnes.  
 Non recipit maculas sol in se lucidus ullas:  
 Non oculus quicquam, radios, aciemque videndi  
 Admittit, vitio quod vel virtute nocendi  
 Lædat & offendat: sic nil admittere Princeps  
 In se debebit vitij, quod culpet honestus  
 Et prudens, & quod regalem obscurat honorem,

Si

Si pius & iustus fuerit, quoque subditus ipse  
 Galis erit: sic si prauus, peruersus iniquus,  
 Non poterit, quin ille via gradatur eadem,  
 Et vitijs sui Regis vestigia presset.  
 Nam magis exemplo Princeps, quam criminis culpa.  
 Peccat & offensa est coeli sub Numine maior  
 Omne animi vitium tanto conspectius in se.  
 Crimen habet, quanto maior, qui peccat, habetur.  
 Protulit in Satyra Iuvenalis ut ille Poeta,  
 A qd ideo peccat grauiori criminis Princeps  
 Atq; Magistratus, si haec non considerat, omnis,  
 Et nullum mandata tenent, seu iussa vigorem  
 Regis, transgressor latæ si primitus extet  
 Ipse sua legis temerarius atq; proterius.  
 Tumq; ingrata deo pietas erit omnis, & ipsa  
 Religio, probitas, & quamvis inclita virtus,  
 Ductaq; diuinæ conformis vita palestræ,  
 Haec in secreto si cuncta exerceat, ut non  
 Spectari a populo valeant, fructumq; referre,  
 Princeps namq; bonus qui publica templa frequenter,  
 Excitat exemplo populum pietatis inertem;  
 Non puduit veteres cum Clero psallere Reges  
 Templis int medijs, cuncto spectante populo:  
 Ergo Deum hic flexis genibus reverenter adores,  
 Et circumfusa colat hunc spectante caterua  
 Plebis, ut exemplo fiat feruentior ipso.  
 Atq; deum semper tali pro rege precetur.  
 Nam reddam domino mea dicit vota propheta,  
 Coram omni populo, ut videantur ab omnibus ipsa.  
 In terra, in terra, prostrato poplite nudo,

C. i.

Corde humili atq; pio, ardenti, manibusq; pliscatis,  
Diutinum cœli Numen reuerenter adora,  
O mortalis homo, puluisq; ac terra caduca:  
Cumq; tremore tuam pauitans operare salutem  
Et Rex, & Princeps, & Caesar maxime mundi.  
Nam si Rex humili Numen reuerenter adoret,  
Coram omni populo et supplex sua vota resignet,  
Omnis ad exemplum mox plebs imitando sequetur:  
Tunc pietas populi, tunc flagrantissimus æstus,  
Regis amore sui semper feruebit vbiq;  
Votacq; ad astriferi tunc feruentissimacœli,  
Certatum mittent cuncti, & violenter olympi,  
Vndiq; laxatas perrumpent agmine portas.  
Tum sit vita boni semper casta atq; pudica  
Principis ac turpi sit nulla labe notata,  
Ergo suis mandet sibi vera atq; optima dici,  
Rex bonus & prudens & qui coeleste veretur  
Numen, & æthereas qui totus anhelat ad arces:  
Ac vitium retegi, si quo fortasse laboret,  
Absq; metu audacter, nulla formidine poenæ  
Deterrente ipsos, ne pure vera loquantur.  
Sic quoq; qui Regi bene vis, atq; intimus extas,  
Intrepide erroris, vitijq; & criminis omnis  
Admoneas ipsum, tu Consilarius semper,  
Si vis officio bene fungi & rectus haberi  
Ante Deum ac homines & iusti nomine dignus.  
Regis ad officium prudentis spectat & illud  
Elogium Pauli: Curam quicunq; suorum  
Non habet exactam, ille fidem, Christumq; negavit  
Est quoque deterior, quam qui vis Ethnicus ille,

Atq; in calle Dei qui castus & immaculatus  
Ambulat, vt sancto declarat dogmate vates,  
Hic mihi seruus erit fidus, quem semper amabo,  
Hicq; ministrabit mihi semper in omnibus ipse.  
Omnis & a magni ludus quoque Principis aula  
Ab sit pro nummis, sub poena vt lusor ab aula  
Exulet electus, certos proscriptus ad annos,  
Natalem Domini sanctum, festosq; sequentes  
Aula dies cunctos, anni reliquosque profanat,  
Ludendo totas rabioso pectore noctes.  
Nō quæcunq; potes Princeps qui magnius haberis,  
Illa velis temere, aut facies, sed iusta memento,  
Commoda, sancta, pia, & quæ censemuntur honesta,  
Vtilia: hæc facere atq; sequi pro viribus, omni  
Tempore, & vt puram ducas moderamine vitam.  
Illa velis, quæ grata Deo, cunctisq; propinqua,  
Atque salutifera, & quæ publica commoda spectant,  
Iustitiaque ministrandæ quæ munia sanctæ.  
Hæc Regis vires, hæc mentem atq; intima versent,  
Viscera perpetuo, nunquam hæc de corde recedant:  
Cogitet hæc totis Rex noctibus atque diebus.  
His honor & virtus, laus, gloria, fama paratur;  
His Rex coelestes cum plebe ascendet in arces.

## C DE OFFICIO vniuersitatisq;

O fficium quicunq; suum moderamine iusto  
Præstat, & ex sancta simplicitate regit:  
Nec tenet implicitum versuta fraude, nec arte  
C. ii.

Vafra animum, lucro nec studet ille suo.  
Sed veluti spectante Deo, sua munia præstat,  
Et graditur sanctum simplicitatis iter:  
Nec facit ut de se praeve detur ansa loquendi,  
Aut strepat officij iusta querela sui :  
Nec quæstum spectat, priuataue commoda lucri;  
Sed quod iustitiae suggerit ipse tenor;  
Neue similitates, aut odia cæca souebit:  
Nec sub blandenti corde venena teget:  
Sed facit officium, rectum dictante tenorem  
Natura semper, iustitiae suum:  
Ille vir est vere prudentis nomine dignus.  
Dignus & æterni filius esse Dei,

## C DE VITIIS AVLÆ.

**A**Vlæ si turpem ducis per crimina vitam,  
Netibi promittas regna beata poli.  
Moechus, & immidus, scortator, & omnis avarus  
Non valet æterni regna videre Dei.  
Ambitio, crapula, ebrietas, sordensq; libido,  
Tetraq; spurcites, mollitiesq; pudens,  
Fastus & impietas, factantia, fœda voluptas,  
Atq; similitates, inuidiaq; truces,  
Perpetuumq; gulæ studium, ventrisq; fouendi  
Delicij varij, illecebrisq; vagis,  
Odia, contemptus, simulatio perfida veræ,  
Vafracq; amicitiae, fraus mala, liuor edax,  
Ocia, somnus iners, epulæ, pompæ, alea, larua,  
Neglectusq; Dei, curaq; nulla boni,

Lascivusq; iocus, petulans detractio famæ,  
Inuidia & blando pectore multa latens.  
Magnifica & speciosa loqui, promittere multa,  
Et præstare nihil, pacta, fidemve nihil.  
Hæc sunt quæ magnis semper versantur in aulis  
Criminia, & his vitijs aulica vita scatet.  
Ergo si ad æternam festinas aulice vitam,  
Tempera ab his vitijs, saluus ut esse queas,

**C DE NOVA VRBE PHILIPPO.**  
poli, a Philippo Hispan. & Anglia Rege: sub  
clariss, viro: Dn, Lazaro Schuendio:  
ibidem militum Tribuno: Consis-  
tario Regio, & Equite Aus-  
rato extracta.  
A N. 1556.

**C** Lara Philippoplis, magno de Rege Philippo  
Nomine deducto, structa est, ubi vastus & horreus  
Eremus fuerat; loca ubi deserta ferarum:  
Atque ubi nullus erat lapis ante, nec villa ruina  
Maceriae, antiqui fuerant nec rudera muri,  
Sed nemus & dumis, fentes, stereolesque genitiae,  
Atque myrica humiles, vepres, rubus & salicta,  
Plurima ubi liquidas surgebat quercus in auras.  
Regius omnigena clarus virtute Tribunus  
Schuendius instituit ciui sua iura nouello  
Atque politiam induxit, sanctoq; Senatu,  
Legibus & sanctis ornauit, Consule primo  
Facto a se & sanxit, quibus vrbs exculta vigeret,  
Atque Magistratus sancti moderaminis ortus  
Acciperet primos, populo crescente nouello  
Ordine ciuili, quibus & Respublica tractim  
Surgeret in iustam, moderanti Consule, formam,  
Templa Dei posuit: xenodochia & ordine pulchro  
Infirmis struxit, vario languore grauatis,  
Cunctaq; bis seno hæc ferme sunt mense peracta,  
Condita & extracta a Germano milite Regis:  
Vrbs, populus, leges, Ciuitas iura, Potestas,

Templa, domus, turre, agger, munitio, vallum,  
Et fossæ, & muri, facies totius & urbis.

**D E S A N C T A S I M P L I C I T A-**  
**t e v i t æ , e x s a c r a s c r i p t u r a .**

**T** E custodiui, simplex quod corde fuisti,  
Corda pbas, Deo, ipsa, et amas scio simplicitatem  
Viventum in terra, rectus, simplex & manebit,  
Simpliciterq; Deus gradientes protegit ipse  
It qui simpliciter, fiderenter & ambulat ille,  
Semper simplicitas iustorum, diriget ipsos.  
Atq; in simplicibus, Domini extat sancta voluntas,  
Pauperis est melior vadit qui in simplicitate,  
In praua quam quisq; via, sine Numine diues,  
Iustus is est vere graditur qui in simplicitate,  
Quærите eum in cordis vos semper simplicitate,  
Vir fuit is simplex atque omni tempore rectus.  
De senam Dominus simplum non proiicit inquam,  
Iusti simplicitas prauis ridetur ubique.  
Quin potiusq; omnes in simplicitate necemur,  
Corpus erit clarum, si oculus sit lumine simplex,  
Prudens ut serpens sis, simplex utq; columba.  
In quoconq; malo volo vos existere simplos,  
Ut naticq; litis Domini simpli, absq; querela,  
Utq; puer simplex, nisi sit quis, monstrat Iesus,  
Non valet æterni nancisci gaudia regni.

Gen. 26;  
I. par. 29.  
Pro. 2.  
pro. 2.  
pro. 10.  
pro. 11.  
pro. 11.  
pro. 19.  
pro. 20.  
sap. 1.  
Job. 1.  
Job. 8.  
Job. 12.  
I. Mac. 28  
Matth. 6  
Mat. 19.  
Rom. 16.  
philip. 2.

**F I N I S.**